



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput Primum. Ex Concill. a Lateran.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

absoluti, concessâ Catholicis facultate occupanditiones ipsius Comitis, ut refert Guillel. Brito lib. 8. Philip.

*Rex & Papa simul exponunt omnibus illum,
Erez, & patriam totam, que spectat ad illum,
Vt qui prevaleat armis, & viribus illi
Tollere quid, proprios locos convertat in usus,
Et Dominus fiat rerum, quas auferat illi.*

9.
Dissol-
vuntur
difficul-
tates.

Nec obstat prima difficultas supra adducta, nam in generali promissione fidei, & obsequii facta superiori, excepta creditur religionis causa, argumento legis ultimæ .ff. de in jus vocando: quia in omni promissione, & iurejurando creditur semper supremi Principis auctoritas reservata, & cultus divini ratio, ut probat Albertic. Gentil lib. 1. de jure belli, cap. 11. undelicet ob fidei promissionem juramento firmatam teneantur vassilli parere Principi etiam tyrannicè dominantem, tamen si ipse in hæresim lapsus sit, non tenentur illi obedire, ex ratione supra adducta, ne videlicet assidua communicatione faciliè in ipsius errores prolabantur. Nec obstat quod expendebamus ex cap. Iulianus 11. q. 4. nam cum temporibus illis Imperatoris Ecclesia plenâ non frueretur libertate, & pace, non poterat subditos ipsius Imperatoris ab ejus obedientia absolvere, & ita Catholici in apostatæ exercitu militiæ nomen dabant, quod toleravit Ecclesia, cum adhuc non haberet plenam potestatem compescendi Principes temporales, ut docuit D. Thomas 2. 2. quest. 12. art. 2. qui etiam respondit exemplis Josephi & Danielis, asserendo ea procedere in Gentilibus, non verò in hæreticis. Quando autem infideles, & Judæi eo tantum, quod tales sint, privari possint dominio, & juribus, quæ habent in Catholicos, expolui in cap. 1. de Indeis. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, Pontificem, Vicarium Christi, Pastorem omnium Christianorum, omnes Christianos posse corrigere, & punire, etiam pœnis temporalibus, virtute potestatis temporalis, quam indirectè & respectivè ad bonum spirituale habet, ut fecit in casibus relatis in cap. ubi periculum, de elect. in 6. cap. 1. de homicid. eod. lib. cap. excommunicamus, §. moveatur, hoc tit. Clement. de summa T. inii. Concil. Constant. sess. 8. & 17. Lateran. sub Leone X. sess. 11. probat ex variis sanctorum Patrum testimoniis Josephus Steph. Valent. integro lib. de potestate coactiva R. P.

Unde ob hæresim Principis secularis rectè privatur ipso dominio directo, aut utili rerum suarum. Facit Nicephor. Calixt. lib. 13. histor. cap. 30. quem expendit Steph. Valent. ubi supra, ad finem libri, qui etiam pro adstruenda hac potestate adducit textus in cap. de calum. cap. qualiter, de accusatio-nibus, & alios: & immeritò Rouffel de hac potestate Ecclesiæ dubitat; quare hanc illius audaciam demirari satis non possum; quamquam enim toto opere hic auctor satis prodat quâ mente ad scripturam animum appulerit, sitque innumeris locis erga Summos Pontifices (ut micillimè dicam) irreverentissimus, & perpetuus admorsor, nedum allatrator eorum, quæ à Pontificibus sine constituta, tamen hoc loco nimiam audaciam suam explicuit.

Supra traditæ assertioni obstat textus in cap. de illa, de divortijs, ubi agitur de quadam uxore, quæ à viro suo in hæresim ipso discessit, forsitan eam intentione, ut maritus cædendo pariter, & confusione affectus, ad rectam sententiam rediret; & dicitur an eo pœnitente, & reverso ad fidem catholicam, cogenda esset illum recipere, vel non? Et sub distinctione respondet Pontifex, videlicet, quod si iudicio Ecclesiæ separata est uxor à consortio viri, non cogatur ipsam etiam pœnitentem recipere: si verò propria auctoritate discessit, cogatur cum eo habitare. Quem textum ita expendo: En ubi ob hæresim mariti uxor ipso jure non eximitur ab obsequio viro debito. Igitur quia ob hæresim superioris ejus subditi non eximuntur à fidelitate, seu obsequio. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, verum esse ob hæresim mariti divortium fieri, cap. final. de convers. conjug. cap. 2. cap. quantum, de divort. probavi in d. cap. de illa, eod. tit. Sicut etiam ob adulterium corporale divortium fit, cap. significasti, de divort. ubi probavi: non tamen ideo licet propria auctoritate coniugi conjugem hæreticum deserere, cum iudicio Ecclesiæ tantum divortium quoad thorum fieri possit: & ita si propria auctoritate discedat, quia illegitimè, & non servato juris ordine conjugem deserit, cogitur ad eum redire, quia ob vinculum sacramenti non licet coniugi propria auctoritate conjugem hæreticum deserere.


Etiam exponendus est textus in cap. inter alia, de sentent. excommunicat. juncto ejus commentatio.

TITULUS VIII.

De schismaticis, & ordinatis ab eis, & alienationibus factis.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concil. a Lateran.

uod à prædecessore nostro felicitis memoriæ Papa b Innocentio factum est, innovantes, ordinationes ab Octaviano & Guidone hæresiarum, nec non & Joanne c Strumenfi, qui eos sequutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus, adjicientes etiam, ut qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per prædi-

prædictos schismaticos acceperint, careant impetratis. a Alienatione quoque, siue invasiones, quæ per eosdem schismaticos, siue quæ per e laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesiam sine omni onere ejus revertantur. Si quis autem f contraire præsumperit, excommunicationi se noverit subiacere. Illos autem, qui sponte g juramentum de tenendo schismate præstiterunt, à sacris ordinibus, & dignitatibus decernimus manere suspensos.

NOTÆ.

a **L**ateranensi.] Generali videlicet sub Alexandro III. celebrato, ubi cap. 2. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 2. reperitur textus hic, prout in præsentibus transcribitur.

b **Innocentio.**] Secundo videlicet, qui in Concilio Romano can. 4. ita statuit: Ordinationes factas à Petro Leonis, & schismaticis hæreticis evacuamus, & irritas esse censuimus. Refert Ant. August. in epit. juris, lib. 11. tit. 54. cap. 14.

c **Strumentensi.**] Ita legendum est, non Strumentensi, ut habetur in hac sexta collectione; nam in hoc schismate, cum Alexander III. legitime, & canonicè electus esset, fautores Frederici Imperatoris Octavianum Cardinalem in Antipapam elegerunt, Victoremque appellarunt anno 1156. & anno 1164. ipse phrenesi correptus, nec sui, nec Deimemor, impenitens sine Sacramentis excommunicatus ad inferos migravit. Duo tamen Cardinales ex primariis Octaviani fautoribus, Joannes videlicet de sancto Martino, & Guido Cremenensis, alique ab ipsis convocati de successore tractantes convenerunt in ipsum Guidonem Cremensem, eumque sub nomine Paschalis III. adorarunt: & cum anno 1170. ipse Antipapa canero in partibus verendis consumptus decessisset, in ejus locum schismatici elegerunt quendam Joannem Abbatem Strumentensem, virum apostatam, qui postea anno 1178. supplex veniam petit, & benignitatem Sedis Apostolicæ expertus est, ut jam retuli in cap. quia 5. de elect. quare in hoc Concilio Lateranensi Alexand. III. ordinationes factas ab iis Octaviano, Guidone, & Joanne Strumentensi, irritas esse, id est nullas,

quoad exercitium declaravit, ut etiam in Concilio Turonensi can. 9. ubi ita statuit: Ordinationes ab Octaviano factæ, & aliis schismaticis, & hæreticis, tanquam vacuæ, & irritæ ab omnibus habeantur.

d **Alienationes.** Consonat caput alienationes 12. quest. 2. nam alienationes factæ à Prælatibus intrusis nullius sunt momenti, cap. nihil, ubi Glossa finalis, de elect. & dum Ecclesia schisma patitur, dicitur vacare, cap. 1. cap. cum vobis, de præscript. & ita alienationes, beneficiorum collationes, Ecclesiarum uniones interim celebratæ nullæ sunt, ut variis ampliationibus, & limitationibus exponit Ricciolus lib. 9. de jure person cap. 4. per totum.

e **Laicos.**] Alienantes videlicet auctoritate schismaticorum, ut post Hostiensem in præsentibus docuit Suarez de censur. disp. 23. sect. 3. n. 4.

f **Contraire.**] Facto vel verbo, videlicet impediendo executionem præsentis canonis, approbando, & defendendo hujusmodi alienationes, seu beneficiorum collationes, ut docuit Suarez d. sect. 3. per totum.

g **Juramentum.**] Consonat Gregorius VII. in Synodo Romana habita anno 3. sui Pontif. ibi: Ceteri vero, quia sua sponte ejus schismatici consentiendo subscripserunt, & in ea iniquitate perdurare voluerunt, similiter ab omni Episcopali officio suspendimus. Illos vero, qui non sponte consenserunt, usque ad festivitatem sancti Petri sufferimus, eo quidem respectu, ut si infra istum terminum idoneam, aut per se, aut per nuncios suos satisfactionem præsentis nostræ non obtulerint, Episcopali deinceps officio priventur. Refert. Ant. August. lib. 11. epit. jur. tit. 54. cap. 7.

CAPUT II.

Innoc. III. a Bisuntino Archiepiscopo.

Fraternitati tuæ. Et infra: Priorem, quem à schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab ea persona, quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi.

NOTÆ.

a **Bisuntino.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. & aliæ partes hujus Decretalis extant in cap. fraternitati, de eo qui duxit in consanguineam, cap. fraternitati, de clerico excommunicato, ubi notavi.

COMMENTARIUM.

i. **EX** his duabus decisionibus sequens commutiter deducitur assertio: Ordinationes factæ ab schismaticis nullæ sunt quoad exercitium gradus collati, nisi dispensatum sit cum ita ordinatis. Probant eam textus in cap. final. 19. distinct. cap. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

præter 6. 32. distinct. cap. ordinationes 9. quest. 1. Urbanus II. in Concil. Placentin. cap. 10. 11. & 12. Paschalis II. in Concil. apud Gualdast. can. 2. ubi fatetur, ordinatos ab schismaticis secundum ecclesiasticas leges debuisse à malè suscepto gradu deturbari, nisi Ecclesiæ indulgentia succurrat. Eugenius III. in Concil. Rhemenfi, can. 16. Quod à prædecessore nostro Innocentio statutum est innovantes, ordinationes factas à filio Petri Leonis, & aliis schismaticis, & hæreticis, evacuamus, & irritas esse censuimus. Octava quoque Synodus generalis sub Hadriano II. can. 4. Phocium schismaticum violenter intrusum, de gradu, quem malè acceperat, dejiciens, eos quoque, qui in aliquo gradu